IOANNIS KLEINII,
SS. THEOL. IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI PROFESSORIS,

DE

AVGVSTANA CONFESSIONE ORATIO

IN IVBILAEO PRIMO A. C. PVBLICE HABITA,

ET

OCCASIONE SECVNDI SEORSIM EDITA



PRAELECTIONIBVSQVE PVBLICIS MENSE IVBILAEO ET SEQV.

A. cIↄ Iↄcc XXX

IN AVDITORIO PHILOSOPHICO

DIEBVS MERCVRII ET SABBATI HORA III.

INSTITVENDIS DESTINATA


A

IOANNE ERHARDO KAPPIO,

PROF. ELOQ. PVBL. EXTR.

LIPSIAE cIↄ Iↄcc XXX.

EX OFFICINA IO. CHRISTIANI LANGENHEMII.



DE
PRINCIPUM ET STATUUM
EUANGELICORUM CONFESSIONE,
ANNO ABHINC CENTESIMO, IN COMITIIS AUGUSTANIS, EDITA,
ORATIO.

Magnifice Domine Rector, admodum Reuerendi, Consultissimi, Experientissimi, Excellentissimi Viri, Fautores plurimum Honorandi, Reuerendi et Dignissimi Verbi Diuini Ministri, Clarissimi et Eruditissimi Philosophiae Magistri, Auditores omnium Ordinum suspiciendi, tu quoque Literatissima, Nobilissima, Politissima Iuuentus, Amicorum corona plurimum dilecta.

Dicturum me de Confessione Augustana, anno abhinc centesimo, hoc ipso die, die vigesimo quinto Iunii, coram ordinibus Imperii ferme omnibus, comitiis in Augustanis edita, nemo opinor vestrum est, qui miretur, quod commoueri animo, et toto corpore exhorruisse videar. Siue enim magnitudinem rei, de qua dicendum, siue vestri splendorem

confessus, siue tacitas omnium auditorum cogitationes, qui, quid tandem tam nobili argumento dignum allaturus sim, auide exspectant, ad animum reuocaueritis, tantum abest, vt in admirationem rapere vos queat timor meus, vt potius, is si abesset, verecundiam meam videremini iure desideraturi. Id ipsum, quod dicturus sim, quod conscenderim cathedram, quod non recollegerim me, nec, quis sim, nec, quid possim, pensiculatius exegerim mecum, plures miraturos, vtinam non ex re ipsa, animus me meus admoneret! Differendum nempe de infinita misericordia Dei, quod fidem Christianam ab ipso Christo et Apostolis semel traditam, et postea humanarum inuentionum mole paene obrutam, in lucem reuocari, tam solenni in conuentu, Altissimus voluerit; quod reuocatam contra vaferrimas machinationes et horrendos impetus hostium, toto saeculo Filius Dei potenter conseruarit, non leui opera, nec perfunctorie est exponendum: quod inter nos quoque, in nostris templis, collegiis, scholis, aedibus, aeterna cum nostrarum animarum salute, doceri eam curauerit spiritus sanctus, quod hac adhuedum hora, in tanta rerum omnium perturbatione, incorrupta ipsa fruamur, eo nomine nobis merito gratulandum. Haec vero omnia tot et tanta, si a disertissimis etiam Oratoribus satis digne extolli, si diffusam tam insignium diuinorum beneficiorum laudem oratione vlla aequari posse autumarem, imperitiae equidem me ipsum arguerem: me autem si tot rebus, tam grauibus, tam variis, vel ingenio consequendis, vel oratione complectendis, vel voce et viribus sustinendis imparem diffiterer, arrogantiae profecto, aut potius amentiae meo memet iudicio ipse condemnarem. Quidni igitur animus meus imbecillitatis propriae optime conscius admoneret me de incepti huius audacia? quidni mallem aliis hodierna die aurem concedere, quam ipse, tam imparatus, ad dicendum exsurgere? Cum tamen, qui dicere vellet alius, quod vnice vouebam, reperiretur nemo, indictam autem abire tam solennem lucem existimarem nefas, meminissem etiam illud *Madaurensis Philosophi,*

ſophi, ſicut ad poenam ſufficit meditari punienda, ſic et ad laudem ſatis eſt, conari praedicanda, praeſertim vero in gratiis agendis, non vires, ſcirem, ſpectari, ſed voluntatem, vt facilius excuſetur, quo velit, qui non poſſit, quam, quo poſſit, qui non velit, memorem accepti beneficii animum oſtendere, veſtrae etiam humanitatis recordatione non parum recrearer: Statui omnino, ſubeundum mihi publici iudicii diſcrimen, et qualicunque ſucceſſu verborum aliquid tanta de re factitandum; vt qui, cum quemuis potius voluiſſem dicere, quam me, me tamen mallem quam neminem, ſperaremque, tantum acceſſurum orationi meae beneuolentiae, a rei, quam molior, pietate, quantum ei defuturum praeuidebam a mei perorantis tenuitate. Sic igitur accedo ad dicendum, non, vt editae Auguſtanae Confesſionis opus ſat commode per me enarretur, ſed vti ne omnino ſilentio apud nos fuiſſe inuolutum videatur, nec, vt copioſa oratione magnitudinem tanti beneficii explicem, ſed, vt tanto de cumulo paucula delibem, non dubitans, vt olim ingenioſo pictoris inuento, magnitudo Cyclopis, quae tabulae anguſtia comprehendi nequibat, eminuit tamen ex depictis iuxta Satyris, pollicem dormientis thyrſo mentitis, ſic ipſam diuini huius operis dignitatem, nulla, quae humana eloquentia exprimi poteſt, vel ex minima parte laudum tenui oratione leuiter perſtricta, ſatis luculenter ſe eſſe prodituram. A vobis tamen, Auditores, officioſisſime prius contendo, vt quod facitis, porro facere, id eſt, attenta auſcultatione beneuolentiam erga me veſtram declarare ne grauemini.

Cum numero multa, et formis varia ſint morborum genera, quibus querula haec fragilisque Naturae noſtrae pars tanquam equuleo et fidiculis ſaepius diſtrahitur, *Medici* tamen duos potisſimum internos fontes et ſcaturigines obſeruant, vnde prorumpat in genus humanum Pelagus illud cruciatuum et debilitatum, ſemen, ex quo gignimur, et Nutrimentum, quo alimur. Alterum nempe docent morbi, quos

haereditarios vocant, cum vita vitae mala a parentibus in liberos transfusa: Alterum ostendunt pericula, aut potius exitia, quae cibo potuque vel prauo infecti, vel idoneo defecti, vel copioso nimis obruti non pauci subierunt. Eadem Christianam vti Religionem sorte, *Auditores omnium Ordinum honoratissimi*, nemini sit dubium: valet illa vigetque, dum semine Diuino, quod pios regenerat, et coelesti alimento, quod fideles sustentat, verbo Dei, satis affluenter et incorrupte fruimur. Ea autem vbi desunt, vbi diuino semini sua non relinquitur natiua puritas, vbi coeleste pabulum parce vel neutiquam conceditur, et, si concedatur, humanarum tamen praeceptionum lolio et limo intermisto corruptum est, vbi, posthabito Israelitici vini fonte, faeculentas traditionum aquas, plenis faucibus et Thracia quasi amystide in nos ingurgitamus, marcessit solidum illud et quondam succi plenum Reipublicae Ecclesiasticae corpus, tabida languent membra, et errorum scabies, et haereseum gangraena obuia quaeque depascitur.

Nil mirum igitur, superioribus saeculis, eo rem redigi potuisse sub Dominatu Pontificio, vt Christi veritas vbique, si non vt protrita perierit, certe tamen vt sepulta et ignobilis latitauerit, a rectis in vitia, a vitiis in praua, a prauis in praecipitia proruerint Christiani coetus, paucique illi, qui in aberratione communi vtcunque pergebant, qua eundum erat, non qua ibatur, aut crudelibus caedibus absumpti, aut exiliis abacti, aut minis et terroribus exanimati nec hiscere sint ausi. Scripturae sacrae nec priuatim legebantur, nec publice audiebantur, nisi id audiri dicas, quod Latina lingua, indocto populo, a mox cantillante, mox submurmurante sacrifico, inter sacra recitabatur, a quibusdam (a) pro concione, ablegato Euangelio, *Aristotelis* Ethica enarrabantur, Biblia ex manu, mente, oculis complurium, etiam Doctorum, etiam Theologorum, erant excussa, eiecta,

(a) Apolog. A. Conf. Art. de Iustificatione. pag. 62.

cta, remota, eliminata: adhuc hodie, cum quiduis Romae legere liceat, etiam ſpurcitias *fabulatorum Italicorum*, quibus homines adoleſcentuli, imperiti rerum, in fraudem illiciuntur etiam *Iohannis Caſae, Archiepiſcopi Beneuentani* librum, quo horrendum ſcelus, quod nec fando exprimi debet, ſcelerata eloquentia commendatur; ſolos codices diuinos vernaculo ſermone expreſſos haberi eſt nefas, et ſi habeantur,

furiarum maxima iuxta
Accubat et manibus prohibet contingere menſas,

prohibet te ſacris veſci ſcripturis, niſi prius vino Rom. probe fueris dementatus, et tum demum peculiari indultu impetraris lectionis ſacrae licentiam. Et non deficeret priſtinus Eccleſiae vigor, vbi vnum vnicum eius nutrimentum, non modo non procuratur miſeris, ſed etiam intercluditur? Aſſuebantur Diuinis oraculis Pannuciae humanarum inuentionum, quae verbis ſententiisque ſacri contextus, et moribus antiquis diſerte repugnabant, pro ſenſu tamen genuino ſcripturarum venditabantur, modo practicarentur, (verba Cardinalis Cuſani agnoſcitis) et pro tempore currerent, fontes Graecos et Hebraeos nemo curabat, Magiſtri omnis pietatis habebantur conſuetudo, pompa, quaeſtus, vt optimum crederetur, quod magnus ignarorum aſſenſus reciperet, ſanctum, quod oculos plebis detineret, diuinum, quod Clericos ditaret, Sacramenta ipſa partim erant in theatricum ſpectaculum conuerſa, partim in quaeſtum collata, et multis modis contaminabantur. Et non palleret decolor vultus longa tabe putreſcentis populi, cui coeleſtis panis non tam fermento, quam toxico miſtus, et Euangelii vinum veneno magis quam aqua dilutum, et alimentum vitae aloe et aconito infectum, ſic publice proponebatur? Adiice his multiiuga mandata Eccleſiae, de rebus nec adiaphoris cunctis, nedum bonis, quibusdam quoque legi Diuinae aperte repugnantibus? Cogita ſales, aquas, ampullas, ſputa, ramuſculos, bullas, iubilaea, indulgentias, ſuffitus,

ſuffitus, et infinitos ludos, Comici verbo, ludificabiles: Reminiſcere clamorum de ſanctis, de ſanctorum meritis, de miraculis ſanctorum, de *S. Dominico* regiam ad coelos viam ipſo Paulo clarius monſtrante, de *S. Franciſci* vulneribus et conformitatibus, quibus arae, templa, ſuggeſta perſtrepebant: Innumerum denique numerum cultuum electitiorum, quibus conſcientiae illaqueabantur, perpende. Et cuius, putas, *Polydamantis* humeri his ferendis pares eſſent? cuius *Milonis* ſtomachus tot cruditatibus digerendis ſufficeret? Nonne miſerabilior ex tali, et tam copioſo cibo, quam ex fame, facies Eccleſiae foret? Hinc altum illud de vulneribus Chriſti nos ſanantibus, et Fide iuſtificante, et merito Filii Dei gratis imputando, ſilentium, iſtisque Amyclaeo ſilentio ſepultis, gemitus piorum, ſub pondere onerum, et praeſulum rapacitate ſuccumbentium. Hinc querelae (b) Petri Caſſiodori de Eccleſia Anglicana, in luto, vt ait, et latere ancillata, dataque in manus eius, de quo non poſſit ſurgere absque auxilio ſubleuantis. *Compatiantur tibi*, clamat, *omnes tranſeuntes per viam, quia non eſt dolor, ſicut tuus. Iam enim prae dolore nimio, atque effuſione tua nimia lacrymarum, ſupra carbones eſt facies tua denigrata, ita quod non es cognita amplius in plateis. In tenebroſis te tuus praefatus ſuperior, Pontifex Romanus, collocauit, inebriauit te abſynthio et felle. Afflictionem populi tui eiusque gemitum audi. Vide Domine, et deſcende, quia cor dicti viri, ſuper cor Pharaonis eſt nimium induratum. Tuum populum abire liberum non dimittit, niſi in fortitudine manus tuae.* Hinc ſuſpiria *Scriptoris* (c) *de aetatibus Eccleſ. Eo*, inquit, *peruentum eſt, vt nunc ablata ab oculis veritate, nec antiqua religio, neque humanitatis ratio teneatur.* *Hinc ingenua Lorichii* (d) confeſſio, *ſunt Pſeudocatholici, qui reformationem Eccle-*

(b) apud Goldaſtum tomo I. Monarchiae Romani Imperii p. 12.
(c) apud Goldaſtum ibid. p. 25.
(d) de Miſſa proroganda in 7. part. Canon.

Ecclesiae quoquo modo remorari non verentur. Quanto quisque melior, tanto auidius illum videre optabat diem, quo vel ſpes ſaltem orbi affulgeret, reuocandae veritatis, et conſcientias a tam dira, et non turpi magis, quam miſera ſeruitute liberandi.

Quod hoc factum; quod ſuſpiria, querelae, gemitus, coelum penetrarunt, quod illuxit illa dies, qua eccleſia oppreſſa ad pileum et libertatem vocaretur, Doctrina Chriſti foede inquinata priſtinam recuperaret faciem, veritas emergeret, imo ab omnibus omnino tot tantisque corruptelis vindicata, in ſplendidiſſimis imperii Comitiis, in illuſtri principum *Germaniae* conſeſſu, in ipſo *Caeſaris* praetorio, palam, toti quaſi orbi conſpiciendam ſeſe et amplectendam praeberet, quantum hoc eſt, *Auditores*, Dei immortalis beneficium? quae mens et cogitatio magnitudinem eius capiet? quid primum, quid vltimum mirabimur? Religionem, quam tot ſaeculorum infecerat incuria, vnone ab inchoata reformatione duodecennio potuiſſe expoliri? (vix enim duodecennium intercesſit inter primas Lutheri disputationes et Auguſtana Comitia) vt pauciores ad repurgationem ſuffecerint anni, quam ſaecula ad labem inferendam concurrerant? et ſic potuiſſe expoliri, vt naeuus in tam inquinato ante corpore ſupereſſet nullus, nulla reſtitaret labecula? Certe cum repurgatae veritatis Confesſio anno ſupra mille quingentos trigeſimo, Auguſtae edebatur, ipſi aduerſarii nequibant in eam, vt maxime vellent, contumelias dicere, et indignabantur, quas tam anxie quaerebant, nullas reperire ſe impietates et haereſes. Mitto *Epiſcopi* (e) *Saltzburgenſis* vocem, *vellem miſſam reformatam, vellem libertatem in cibis, et aliis traditionibus, et totum ordinem ſic ſtare; ſed vt miſellus Monachus nos reformet omnes, id non eſt tolerandum.* Tranſeo (f) *Epiſcopum Auguſtanum*, exclamantem, *illa, quae recitata ſunt, ſunt pura puta veri-*

B *tas,*

(e) Chytraeus Hiſtor. Auguſtan. Conf. pag. 74.
(f) Chytraeus ibidem.

tas, non possumus inficiari. Non adduco *Cornelium* (g) *Scepperum*, Caesari qui ab Epistolis secretioribus erat, qui, quod non candidiores Religio ferret nostra calculos, auri tantum inopiae imputandum prae se ferebat, salse iocatus, vt erat elegantis ingenii homo, et natis intra pomoeria iocis seria temperare amabat, *nos, si bene nummati essemus, facile Religionem, quam vellemus, ab Italis licitaturos: vt autem Religio non collustrata auri splendore, orbi lucem assulgeat, frustra exspectari.* Confessionem *Wilhelmi*, (h) *Bauariae Ducis*, qui a recitatione domum reuersus, *longe alia et magis horrenda de doctrina Lutheri sibi significata fuisse, quam eo die audierit, affirmauit*, et quaecunque alia magno numero adiici possent, latere sino: Rem ipsam videamus. Quid tandem *Eccius*, quid *Faber*, quid reliqui iurati Euangelii hostes, postquam sat diu arroserant vngues, et versauerant et excusserant omnia, quid tandem repererunt haereticum? Sex, aut, ad summum, septem capitibus, omnis eorum continebatur (i) accusatio, articulis nimirum *de cultu Sanctorum, communione sanguinis Christi, sacrificio Missae, coniugio sacerdotum, votis monasticis, humanis constitutionibus, et iustificatione per solam fidem.* Reliqua omnia nolentes volentes aut probabant, aut concedebant posse ferri, siue conciliari. Et haec tamen ipsa, in quae litem intenderunt, proh Deum immortalem! quam sancta, quam pia, quam euidentia ex Scripturis sacris, quam contestata apud omnes bonos! Vtinam liceret ipsorum, qui haec impugnant, mentis sensus recessusque intimos introspicere, quibus varias voluunt et reuoluunt obscurissimas cogitationes! reperiremus conscientias ipsorum, in istis quoque capitibus, nobis, etsi nolint, relinquere tandem Veritatis palmam et herbam quasi

(g) Histor. Concilii Tridentini Petri Suauis Polani pag. 62. Chytraeus Histor. A. Conf. pag. 75.

(h) Historia A. Comitiorum tomo 5. Jen. German.

(i) Eccius in censura de singulis Aug. Conf. articulis apud Chytraeum Histor. Aug. C. p. 235.

quasi porrigere. De Iustificatione quidem, quid habet Confessio, quod non tandem crediderit *Carolus V.* cum iam de rationibus Deo reddendis sollicitus, iam terrenarum curarum liber, iam Coelos et coeleste tribunal cogitans, in *Hieronymianorum* fratrum sodalitio versaretur? Cum a confessionibus sacris vteretur *Constantino* (k) *Pontio*, homine *Lutherano* (certe propter *Lutheranismum* (l) effigies eius in carceris squallore demortui Hispali fuit cremata) cum optimus Imper. cum animo suo sic statueret, *se quidem indignum esse, qui propriis meritis regnum coelorum obtineat, sed Christum, ad quem duplici iure coelum spectet, et haereditate patris, et passionis merito, altero contentum esse, alterum sibi donare, ex cuius dono merito sibi hoc vindicet, eaque fiducia fretus minime confundatur; neque enim oleum misericordiae, nisi in vase fiduciae poni, hanc hominis fiduciam esse a se deficientis et innitentis Deo suo, alioquin propriis meritis fidere, non fidei sed perfidiae esse,* vt est apud *Thuan. lib. 21.* Nonne itidem *Episcopus Wintoniensis,* morti iam vicinus, de Iustificatione Fidei admonitus, rem periculi plenam dixit, populo hanc rimam aperire: sibi tamen suique similibus, quibus imminente morte fastuosae praesumptiones de meritis operum, facile excutiantur, tuto doctrinam illam Lutheranam reuelari posse? vt est apud Foxum in Martyrologio. Nonne ipse *Bellarm.* lib. 5. de Iustificatione cap. 7. *tutissimum,* censet, *si meritorum quodammodo obliuiscamur, et fiduciam* (ipsa eius verba recito) *fiduciam totam in sola Dei misericordia et benignitate reponamus.* O Diuinam potestatem, quae ex labiis tam peruicacibus veritatis confessionem extorsit! Reliquorum capitum eadem est conditio. De constitutionum humanarum onere, varietate, multitudine in libro *de Vita Sp. animae Gerson* misere queritur; Vota sua, vt Monachi implendis iis impares,

(k) Thuanus libro 21. Histor.

(l) Histor. Trident. Concilii Petri Suauis libro 5. pag. 486. Thuanus Histor. lib. 23.

res, rescindant, et saluti suae autoritate Pontificis per matrimonium consulant, suadet Philipp. 19. *Alphonsus Viruesius.* Legem de coelibatu Sacerdotum fixam, refigi debere, censent (m) Concil. Basileense, (n) Panormitanus, (o) Durandus; Morem sub vna specie communicandi, non a Christo, aut Apostolo, aut docto aliquo purioris Ecclesiae antistite, sed ex errore tantum, siue, vt loquitur, *ex simplici et candida religione populi* initium habuisse fatetur (p) *Stephanus Gardinerus,* postulatum nostrum de Sacra coena iuxta Christi praescriptum sub Pane et Vino administranda iustum et aequum esse, concedit aduersus *Bucerum Latomus,* in Missa inueniri abusus et errores, non negat *Albertus* (q) *Pighius,* Missam priuatam non tanquam sacrificium propitiatorium pro viuis et defunctis, sed solum gratiarum actionis et ministri participationis causa, restaurari debere, ipsi in *Comitiis Augustanis* (r) deputati Pontificiorum contendebant, de inuocatione Sanctorum praeceptum extare in sacris nullum, (s) ipsi confitebantur.

Magnum hoc est, *Auditores*, quod post tam altas et diuturnas tenebras adeo splendida effulsit subito Fidei lux, in qua nihil requirere aduersarii possent, nisi quod in ipsis frustra quaererent scripturis, nihil condemnare, quod non tandem hostes laudare cogantur; Sinceritas illa confessionis nostrae, magnum est immortalis Dei beneficium. Quod tamen ausi sint nostri profiteri puram illam veritatem in conuentu tam celebri, quod non exciderit illis mens, non obtorpuerint subita caligine oculi, in ministerium edendae Confessionis suffecerint lingua et animus, opus est, meo quidem

(m) Apud Aeneam Syluium lib. 2. de Gestis Conc. Basil.
(n) Panormitanus in Can. cum olim de Presbyteris coniugatis.
(o) Durandus in lib. de modo celebrandi concilii part. 2. tit. 46.
(p) Stephanus Gardinerus in Sophistica Diabolica.
(q) Albertus Pighius in locis commun. de Missa priuata.
(r) Chytraeus Histor. A. Conf. pag. 284.
(s) Chytraeus Hist. Aug. Conf. pag. 254.

quidem animo, Altiſſimi non minus. Neque enim profeſſio illa, quam ſancta, tam tuta, aut ſecura fuit, magni impendebant motus, ſubſcribere ei nemo quibat, niſi qui vitam pro veritate, terram pro coelis, homines pro Deo contemſiſſet, nullasque ſibi, neque contentiones, neque inimicitias, neque corporis et fortunarum calamitates, pro Euangelio defugiendas arbitraretur. Quid enim? re ſaepius agitata, iam condemnati in iudicium veniebant: imperiali decreto proſcriptionis ſententia *Wormatiae* in *Lutherum* fuerat promulgata, vndique minae, caedes, direptio denuntiabantur, vndique hoſtile in veritatem odium. Nam quid ſtudiis facere peruicacium poſſumus, qui, quod diu ſenſerunt, ne videantur male ſenſiſſe, quoquo modo defendunt, turpiusque putant, a veritate vinci, quam perire implicitos erroribus? Decem continuis annis in id vnice Monachi incubuerant, vt exorta fidei fax vel ſanguine noſtro extingueretur: formidant quippe aegra lumina ſolem, et diem ſplendidum nocturna auerſantur animalia. Sacrifici cruces, rogos, flammas, aut vaga per artus funera meditabantur, multorum Epiſcoporum et Principum vultus erant pleni furoris, oculi caedis, ſermo arrogantiae; ſubnixi vi humana, et Dei ſecuri, mirum quam alto nos deſpiciebant ſupercilio; cum conſcientiae rationem noſtri obtenderent, quid conſcientia (t) clamabant? quid dictamen conſcientiae? turbas non feret Caeſar. Aderat *Caeſar* ipſe, domita *Italia*, *Hiſpania* territa, Rege Galliarum capto, et fortunae ipſa vbique vota praeuenientis afflatu, et virium ſuarum conſcientia ferox, *Bononiae* inſuper a Pontifice ad vim et arma inflammatus. Id enim in *colloquio Bononienſi Papa Clemens VII.* (u) optimi Imperatoris auribus vnice inſtillauerat, *nihil*

(t) Iuſtus Ionas apud Chytraeum Hiſtoria Aug. Conf. pag. 75.

(u) Hiſt. Trid. Concil. Petri Suauis lib. 1. pag. 58. Chytraeus Hiſt. Aug. C. pag. 6.

hil fore consultius, quam si, quae diplomate Leonis X. et edicto Wormaciensi statuta fuerant, opere ipso peragerentur. *Si quid,* dixerat, *responsitent contra Protestantes, id non audiatur, siue concilium petant, siue in dubiis maiorem lucem postulent, siue suae ad concilium prouocationis mentionem faciant, siue aliud quid, quod perinde ac caetera, impietatem suboleat, causentur. Vbi primum refractarii fuerint inuenti, ad arma, ad arma decurrendum, nec dubitandum de victoria, contra tam paucos et tam imparatos, et tam imbecilles, Ecclesiasticis omnibus principibus, et maiori saecularium parte cum ipso Caesare ad arma concurrentibus.*

De ipso autem Pontifice Romano quid dicam? Patres et Amici fauentissimi, quid de aula Romana? Nouit vtique Christianus orbis, quo ardore Papa, et papales ministri persequi soleant, quos vel in minimis contra rem commodumque sedis Romanae venire suspicentur. Legatur, quaeso, vnica illa *Cardinalis Baronii* digressio, in XI. Annalium, qua ipsum *Carolum V.* cum filio et nepote, duobus *Philippis, Hispaniarum* Regibus, Pontificiae sedis propugnatoribus acerrimis, ob nescio quae Siciliae iura praeter Pontificis placitum vsurpata non secus (x) ac viles quosdam orbis terrarum praedones, et Ecclesiae perduelles, et perduellibus deteriores, contumeliose tractat: repetantur memoria nuperae turbae *Venetae,* cum in serenissimam illam Rempublicam, semper studiosam Pontificum, *Paulus V.* velut impetu coelum et maria rupturus, crudelissimis diris et edictis detonuit. quod ob meritum? (y) duas renouauerant

(x) Confer Iudicium Cardinalis Ascanii Columnae de eadem Baroniana Disputatione, et Philippi III. Hispaniarum Regis, Edictum contra tractatum Cardinalis Baronii de Monarchia Siciliae.

(y) Paulus Venetus in Considerationibus Censurarum Pauli V. Antonius Quirinus Relation. Rationum Serenissimae Reipublicae Venetae, Hieronymus Vendramonus Disquisit. Controuersiarum inter Paulum V. et Venetam Rempublicam.

rant *Veneti* leges, quibus id vnice cauebatur, ne ſine conſenſu principis, ignari quos habiturus eſſet colonos, aedificia noua erigerentur, neue tandem immobilia Venetorum bona vniuerſa, cum intolerabili detrimento Reipublicae, in alienam ditionem tranſirent; duos itidem carceri mancipaverant Eccleſiaſticos. Eccleſiaſticos dico? monſtra, humana facie tecta. Alter *Canonicus Vicentinus* libidine efferatus, matronae ſplendidisſimae mirum in modum promiſſis, minis, vi, aſtu, foris, domi, in publico, in templo, ſollicitatae pudorem violare tentauerat, eiusdem honeſtatem, voti non compos, valuis noctu illitis et indice diobolaris proſtibuli appoſito per ſummum infamarat ſcelus, publica D. *Marci* ſigilla ſpreuerat, laeſerat, refregerat: alter *Neruesiae Ablas*, veneficus, ſicarius, ſanguinis humani gurges, non ab hoſtibus, non ab amicis, non a domeſticis violentas ferebatur abſtinuiſſe manus, non, proh ſcelus! a patre ipſo, parenti ſuo, a quo genitus, educatus, ditatus, violentas, imo non violentas, ſed impuras, ſed ſacrilegas, ſed parricidas intulit manus: ſtupra, fornicationes, adulteria, quaecunque turpis libido ſuadet, leuia in ipſo vt putarentur, maiori meruerat ſcelere, ſorori infelix, ſorori non pepercit, ſorore turpiſſime abuſus fuit. Ad tanta ſcelera Eccleſiaſticorum quod non conniueret Senatus, quod portenta illa culeo inſuenda Princeps *Venetus* dimittere nollet, hoc eos excitauit fluctus, vt dirum Anathematis carmen in *Venetos* Pontifex pronuntiaret, belli, et malorum, quae bella comitari ſolent, metum incuteret, et omnia potius conflagrare vellet, quam quicquam de libertatis, vt vocant, Eccleſiaſticae obtentu, et edictis commodisque ſuis decedere pateretur. Tam facile eueruescit moroſa Pontificum iracundia. Politicum illum, qui in cultu regum conſenuerat, interrogatum, qui conſequutus eſſet rem rariſſimam in aulis, ſenectutem, iniurias, reſpondiſſe ferunt, accipiendo, et agendo gratias. De Rota ſiue curia Romana hoc vere dicas. Nemo conſeneſcet in illa, qui iniurias accipere et laudare non didicerit,

rit, nemo ei probabitur, cui non omnia dicta, facta, cogitata Pontificum fuerint probata, qui cunctas non mussitauerit iniurias, non arriserit publicis priuatisque, quas edet sedes Romana, cladibus si quid mutias, et vllam emittas, vel querentis, vel improbantis, vocem, si dicere verum, et Pontificem inter adulatores stupentem, ipsaque consuetudine pro tectis blanda audiendi ad ignorantiam veri perductum, liberiore voce missa a consensu concentuque falsorum vindicare tentes, actum est statim, concitasti omnia; difficili bile tumet papale iecur, et odia nunquam finienda exaestuant, Quo animo igitur esset ipse erga nostros Confessores? quos videbat non pauculos Ecclesiasticos Ecclesiasticae iurisdictioni subtrahere, non vna aut altera lege lata tentare Romanam patientiam, sed aperto Marte aggredi formidatam terris et inferis triplicem coronam, Pontificias fraudes et imposturas prodere, errores refellere, superstitiones accusare, de nouis cultibus queri, imo de tenebris Romanis face scripturarum expulsis gloriari et triumphos agere. Hic ille non concitaretur? non flagrarent oculi? nonruberet facies, sanguine ab imis praecordiis aestuante? non complosa saepius manu, et humo pulsata pedibus, et gemitu, et mugitu et trementibus labris, et toto concito corpore indignationem conceptam testaretur? Non toto furore armaret se in exitium tam infensae et tam inuisae confessionis? Pone articulum XII de gratia Dei sine satisfactionibus nostris obtinenda. Et quanti ementur papales indulgentiae? inculcetur hominibus ex art. 4 6. 20. doctrina de gratuita hominis per fidem iustificatione, deque necessitate vere bonorum operum. Et quis locus relinquetur dispensationibus Pontificiis? Admoneatur officii sui ex art. 14. Ordo Ecclesiasticus. Nonne obturabitur tertius etiam spiritualis censuum Ecclesiasticorum fons, vnde beneficiorum collationes emanant? Quam cito quoque exarescet fons quartus obuentuum papalium, status scilicet Ecclesiastici reditus ordinarii? si ex articulo 7. abu-

sum

ſuum dignoſcantur limites, inter poteſtatem Regis et Sacerdotis a Deo praeſtituti? Imo quod veſtigium remanebit omnis *Omnipotentiae* pontificiae, ſi ex eodem articulo ad mores a *Chriſto, Petro, et Paulo* praeſcriptos et obſeruatos, poteſtatem ſucceſſorum Apoſtolicorum exigere homines doceantur? Neque enim *Paulus*, puto, *Vice Deum*, vel *Dominum Deumque noſtrum* ſe appellari iuſſit: non opinor Petrus in aurea ſella, corona lemniſcata, apparatu Perſico, veſte Attalca gemmisque interlucentibus fulgurante, in principum ceruicibus equitauit, non pigros ſuos ingeſſit in os Monarcharum, non Euchariſtiam ante ſe, quocunque incederet, cum luminibus et tintinnabulis circumtulit, non annatas, commendas, immunitates, vniones, praeuentiones, baculos paſtorales, exſpectatiuas gratias, tolerantias concubinarum, pallia, vſus palliorum aere vendidit, non ſedit in Septimontio, et omnia ſpatia furui regni et genera paenarum digito deſcripſit, alias animas in cruciatum relegans, alias accepta mercede, ad auri repente tinnitum, pro arbitrio eximens: non ſibi ſoli in vniuerſam Eccleſiam dominatum vindicauit, quas familias funditus exſcindi, quas extolli, quibus populis libertatem dari, quibus eripi, quos Reges mancipia fieri, quorumque capiti regium circumdari decus oporteat, quae ruant imperia, quae oriantur, ſuae iurisdictionis eſſe, nunquam credo aſſeruit. Omnia haec quam pontificibus ſunt vſitata, tam contraria ſunt Petrinis praeceptis et moribus. Quam moleſtum ergo pontificibus refricari memoriam regularum iſtarum in Symbolo noſtro? quanti Paparum intererat, aboleri nomen omne confeſſionis tot modis pontificio faſtigio damnoſae? Pax ante niuibus et flammis erit, quam Pontifici cum fide illa conueniet toto coelo ab inſtitutis pontificum diſſidente? Quid vero poſſet viuax Paparum ira, et feruens Romana indignatio, ſatis perſpexerant alienis ex incommodis, qui norant (ecquis autem non norat?) Venetorum Legatum Franciſcum Dandalum catenis vinctum et detruſum ſub menſam

ſam Clementis V. ad oſſa fortasſis inter canes ligurien-dum, ceruices Imperatoris Barbaroſſae pedibus Alexandri III. ſubiectas, Henricum IV. Hildebrandi et Paſchalis furiis oppreſſum, et detentum, et ex ſolio in monaſticam cellulam compulſum, et inedia et moerore contabeſcentem, infinitos praeterea Heroas, Reges magnos et principes late dominantes ignominioſisſime a Papis habitos, imperiis ſuis deiectos, et ad malorum extrema ex alto ſuarum dignitatum faſtigio detruſos. Omnia haec, quaeque plura praeſentis periculi horror cogitantibus ſubiiciebat, non tamen remorata ſunt pientisſimos noſtros Confeſſores: *Iohannes Conſtans* (neque enim poſſum, quin memorem omnium gentium memoria dignos) Elector, *Georgius Marchio Brandeburgicus, Erneſtus Dux Luneburgenſis, Philippus Landgrauius Cattorum, Iohannes Fridericus Dux Saxoniae, Franciſcus Dux Luneburgicus, Wolffgangus Princeps ab Anhalt, Senatus et Magiſtratus Nurenbergenſis, nec non Senatus Reutlingenſis*, ſui ſuorumque immemores, non Deo, non Veritati, non Eccleſiae defuerunt, praebuerunt ſe duces orbi ad veritatem anhelanti, iusſi a ſummo Magiſtratu, quanquam pauci numero eſſent, fidem orthodoxam, Pontifici, pontificiis, imperio, orbi terrarum, ipſi inferorum tyranno maxime exoſam palam confitebantur, a Numine, a Numine ipſo, diuinitus animati. Vnde enim, Patres et Fautores, tantus ille Principum, Senatuum, Ciuitatum, zelus, quo correpti, poſthabitis rebus omnibus, ſpreto omni metu, Veritati publice teſtimonium perhibebant? vnde? niſi a Deo Fidei et pietatis omnis vno in cordibus mortalium autore. Tu, o clementisſime *Pater*, Diuino illo robore conſtantiaque *Conſtantis* merito dicti Electoris pectus armauiſti: a te *o Chriſte Ieſu*, accenſa eſt illa pietas, ille feruor, ille inuictus animus *Iohannis Friderici*, Viri, vel hoſtium et victorum confesſione (z) maximi, propugnandi tui verbi vt tanto ſtudio

(z) Thuanus Hiſtor. lib 4. et 13.

ſtudio flagraret, vt in ipſo etiam ſqualore carceris, non minis, non promiſſis, non blanda libertatis oſtentatione, non damnis fortunarum, non capitis pronunciata ſententia ab agnita veritate vel hilum dimoueretur, ſed Deo fretus *mundo* quaſi medium digitum oſtenderet, fortunae inſultaret, mortem rideret, certe mortis audita ſententia (a) latrunculis luderet, ſi hoc ludere eſt, luſu morti ipſi illudere. Tu, *o ſancte Spiritus*, inflammaſti aethereum illud Sereniſſimae familiae Brandeburgicae ſidus Marchionem *Georgium* (b) vt inter minas Caeſareas in Imperatoris Palatio, caput, caput ſe, clamaret, pro Euangelio feriendum porrigere, Diuinum illud pectus, et decoros humeros ad gladii ictum praeſentiſſimo animo denudans, attonito ad tantae pietatis ſpectaculum Caeſare et inter ſtuporem et lacrymas vociferante; non caput, non caput petitur, non agitur de vita: tu, o aeterne et miſericors Deus, reliquis principibus et adiunctis Ciuitatibus, addidiſti animum, vt cum Veritas e denſiſſimis tenebris emergens, ceu nouus aliquis ſol, pulchritudine ſua admirabili ipſos cepiſſet, et ad ſui amorem, non aliquibus igniculis, ſed flagrantiſſima verae pietatis flamma incendiſſet, Veritatis etiam profeſſionem, nulla propoſitorum periculorum formidine, deſerendam arbitrarentur. Virtus Dei hoc omne peregit: Confeſſores illos, illos praecones veritatis, ſolus ſibi excitauit Iehoua: Diuinam hic deprehendo dextram. Quae tamen vt tanto manifeſtius ſe exereret, ipſius etiam irati Caeſaris opera, in propugnando verbo ſuo, eodem tempore vſa fuit. Ipſe Caeſar, o altam Diuini conſilii abyſſum! quam tum oderat, quam tum exſtinguere conabatur, fidem, ipſe aſſerere, ipſe tueri coactus eſt. Non enim aſſeruit? non tuitus eſt noſtram fidem? cum (c) exhibitam confeſſionem ſaepius de-

 ſcribi

(a) Thuanus Hiſtoriarum libro 4.
(b) Hiſt. Aug. Conf. tom. 5. Luth. pag. 27. Edit. Ienenſis.
(c) Chytraeus Hiſtor. Aug. Conf. pag. 119.

ſcribi iuſſit? deſcriptam Luſitaniae, Pannoniae, Italiae, Scotiae, Angliae, et totius denique orbis Chriſtiani Regibus et principibus praecipuis transmiſit? transmiſſam vbique legi, aeſtimari, diiudicari voluit, de toto negotio conſilia et ſententias exterorum ſciſcitatus? Traducebamur ſcilicet apud ignotos antea, iniuria quidem et ſummo ſcelere aduerſariorum noſtrorum, traducebamur tamen (d) ac ſi ne veſtigia quidem Eccleſiae apud nos vlla reliquiſſemus. Magiſtratum contemptim, Sacramenta nihili, ſacra profana promiſcue haberemus, belluinam omnium flagitiorum captaremus licentiam, belluarum more in ſtupra, adulteria, inceſtus, nefandas libidines proruerermus, homines impii ſine religione vlla, ſine Deo, hoſtes Chriſtianae gentis, indigni luce, indigni vita, in quos ſpurcitiae ſe omnes omnium haereſeum colluuionibus deriuaſſent. Haec omnia nonne refutauit ipſe Caeſar facto ſuo? A tot congeſtis contumeliis nonne vindicauit exiſtimationem Eccleſiarum noſtrarum, confeſſione noſtra totum per orbem diuulgata? Omnia haec falſa, efficta, ementita, calumnioſa, nonne tota Europa iudicauit, quamprimum ipſi, Caeſaris auxilio, noſtrae confesſionis inſpiciendae facta copia? Vt nempe *Sophoclem*, cum accuſaretur in iudicio a filiis pro deliro et fatuo, qui rem familiarem ſtolide profunderet, et iam curatore opus haberet, purgandi eius criminis cauſa, veniſſe aiunt in iudicium, et cum pronunciaſſet *Oedipum Coloneum*, Tragaediam, a ſe illis ipſis diebus elaborate et pereleganter ſcriptam, vltro interrogaſſe iudices, num illud carmen hominis delirantis iudicarent? Nonne ſic ſimiliter Confesſio noſtra, quocunque mittebatur a Caeſare, omnibus in oris, ipſa ſui lectione imo primo introitu conteſtabatur, et quaſi interrogabat obuios, ecquis tandem hanc doctrinam exiſtimare poſſet rabiem hominum furentium et conſpirationem haereticorum,

(d) Formula Concordiae pag. 300. Hiſtor. Aug. Conf. in tomo 5. Lutheri pag. 28.

rum, quibus nihil cum Christo, nec cum Ecclesia commercii, vt maleferiati quotidie calumniose clamabant.

Omnia hucusque in opere Confessionis conspiciuntur magna insignia, admiranda, diuina. Post longam malorum inenarrabilium tolerantiam post teterrimos errores a longa die inuectos, Fides Christiana primis statim XII. reformationis annis puritati suae restituta, Confessio eius contra totius orbis minas inuicto animo edita: innocentia eiusdem per ipsos aduersarios, per infensos Caesares a calumniis vindicata, quod si porro edisserere vellem, quomodo eadem confessio fraudulentas falsorum fratrum manus et machinationes effugerit? quomodo contra omnes artes et arma pontificum in concussa substiterit? cum militari manu oppressa putaretur, quomodo altius erexerit caput? quomodo eodem loco, vbi viginti et quinque ante annos, primum fuerat edita, Augustae scilicet Vindelicorum, ab imperio toto digna fuerit iudicata, cuius profitendae libertas in imperio nemini praeclusa esse debeat? quomodo eorum, qui sensu Religionis a nobis sunt alienissimi, sic nobis animos beneuolentiamque conciliauerit, vt in diuersissima religione, pacem tamen diu nobiscum coluerint? an caussae tanti celebrandi beneficii? an vero vox? oratio? latera? dies me deficerent?

Hactenus tamen editam, hactenus in Germania conseruatam Confessionem Augustanam loquor? Quid si patriae fines egrediamur? O vim admirandam veritatis Diuinae! etiam longe lateque disseminata est Augustana Confessio? Quantumuis aduocauerit Pontifex omnes imperii sui vires, eo omnia contulerit studia orbis Pontificius, vt exstirparetur Confessio, et Confessorum ipsorum exitio ostenderetur, quanti constent piis, de Reformatione Ecclesiae praeclari conatus, nil tamen effectum est, frustra impensa omnia, superauit et creuit malis confessorum numerus. Vt facula iactata flammae crescunt sic latius diffudit se exagitata veritas, dum extinguere ipsam in Germania pontifex

 molitur,

molitur, extorsit ipsa pontifici Aquilonem totum, et omnibus in Europae prouinciis pios nacta est asseclas. Ipsius *Bellarmini* haec est querela, praefat. in disputat. suas: *Quis ignorat pestem Lutheranam in Saxonia paulo ante exortam, mox Germaniam pene totam occupasse, inde ad Aquilonem et Orientem profectam, Daniam, Noruegiam, Suetiam, Gothiam, Pannoniam, Hungariam, absumpsisse, tum ad Occidentem et Meridiem pari celeritate delatam, et Galliam, Angliam, Scotiam, florentissima quondam regna, breui tempore populatam, ad extremum Alpes transcendisse, et in Italiam vsque penetrasse?* et rursum lib. 3. de Pontif. Rom. c. 21. *Nostris vero temporibus, quibus vos Antichristum maxime furere vociferamini, tam prosperi illi omnia successerunt, vt maximam Germaniae partem amiserit, Suetiam, Gothiam, Noruegiam, Daniam vniuersam, bonam Angliae, Galliae, Heluetiae, Poloniae, Bohemiae, ac Pannoniae partem.* Cuncta haec igitur pontifici Veritas restaurata eripuit, per quos? pauculos, contemptos, Theologos, non delinitis principibus assentatione, cuius expers oratio veritatis causa omne discrimen subeuntium, non donis multitudine sollicitata, quis auro commendari orthodoxam fidem vidit? non populari licentia praedicata, neque enim Euangelium licentiae tumultuantium fauet, quod Magistratui ius et autoritatem suam reddidit. Non fraeno carnalibus delitiis laxato, nos quippe euertimus poenitentiariam istam, quae parricidium Turonensibus 4. ducato 1. Karlinis 8. flagitia cum vestalibus commissa cum dispensatione ad ordines et beneficia turonens. 36. duc. 3. incestum, in vtroque foro, turonensibus 18. duc. 4. Karl. 9. aestimat, et contra legis seueritatem, et iudicii diuini horrorem, acriter inculcamus: non denique opposita vi vlla, vi hostes nostri se tueantur: nos ad scripturas, non ad flammas confugimus, nec ferro aduersantes, sed verbo Dei obsidemus: Diuinae vocis vires omnia peregerunt. Videte, quaenam illa fides sit, quae talibus auxiliis Pontificem adeo vehementer afflixerit?

Mira-

Mirabatur quondam orbis, cum Alexander ex obſcurae et ignobilis Macedoniae angulo egreſſus, et Macedonibus ſuis, ſordida paulo ante clientelae perſicae parte, comitatus, potentiſſimum Perſarum regnum euertiſſet: nec iniuria orbis illud mirabatur. Quis enim metuiſſet ab imberbi Macedone, Regi Regum et Deorum conſanguineo, vt ſe ipſe appellabat, Dario, qui inſanientem iſtum Philippi adoleſcentulum verberibus puerilibus grauiter caeſum, poſt indutum veſte purpurea, ſibi tranſmitti per ſatrapas ſuos voluerat? aut quae Perſicis opibus collatae opes Alexandri? cuius pater argenteum Scyphum, neſcio vnde nactus, prae amore vix noctu a ſe demittere audebat, capiti in ſomnis eundem, tanquam rem pretioſiſſimam, ſupponens, tanta illi argenti penuria! aut quid vix 30. millium exercitus, contra tot gentium, et totius orientis excitam ſuis ſedibus molem, tam immenſas copias trahente ſecum Dario, vt militi caſtra eſſent anguſta, explicandis turmis campeſtria non ſufficerent, vix coelum pateret ſatis ad tela emittenda omni manu. Perſa igitur domitus, hoc eſt, immenſa agmina a paucis turmis deleta, innumerabiles diuitiae ab inope Rege victae, potentiſſimus Rex ab imberbi iuuene debellatus, maximum regnum ab ignobili principatu euerſum, merito orbis ſtupor fuit. Maiorem tamen, *deſideratiſſimi Auditores*, ſtupendi materiam orbi praebet infracta et tot regnis orbata Romana ſedes ab illis, quas dixi, Veritatis copiis: tenuiores quippe illae, quam, quas, non dico Macedo, ſed impotentiſſimus quisque rex in aciem vnquam eduxerit: Congreſſae autem ſunt cum hoſte, qui ipſis Perſicis regibus, nulla parte virium inferior, in certamen proceſſit. Ecquid enim, Auditores, ad tutandum regnum Pontifici tandem defuit? Arma? cui Caeſares militarunt, ad cuius claſſica iunctis animis copiisque coniurati reges venerunt. An autoritas? quem Deum in terris non pauci agnoſcunt, vt contra ipſum bellum gerere, ſit ipſi Deo bellum inferre, cum Papa ſit Deus, et Deus ſit Papa. An audacia ſatellitum

tum? in cuius copiis etiam *Clementes* conſpiciuntur, etiam *Fauxii*, *Grantii*, *Caſtelli*, *Barrerii*, *Rauillaci*, proiectae ipſi ad quiduis agendum, ſuſtinendum, audaciae, pro commodis papalibus aut verſare dolos, et orbis Monarchas in cubiculo, in aulis, in caſtris exercitu toto ſtipatos, inter fidas procerum manus, in amicorum ſinu, obtruncare, totaque adeo regna cum regiis familiis et vniuerſis ordinibus fruſtillatim vno impetu diſcerpere, aut grauisſimis cruciatibus animoſe immori, ipſi paratisſimi. Ab opibus vero, quam non imparata fuerit Romana ſedes, facile ſuſpicabitur, qui vel norit, vnum (e) *Ioannem XXII.* vicies quinquies millena aureorum millia, ſiue ducentas quinquaginta auri tonnas, in aerario decedentem reliquiſſe, vel qui legerit, (f) pecuniae ex ſolis Galliis ſub Martini Quinti Pontificatu Romam delatae ſummam ad nonagies centena coronatorum millia excucurriſſe, vel qui fama inaudierit, taxam (g) vt vocant, vacantiarum, deſcriptam in libris Camerae, ex ſolius Galliae Eccleſiis Cathedralibus et Abbatiis, ſexto quoque anno conficere ſummam ſexenarum nonaginta ſeptem millium ſeptingentarum quinquaginta librarum Gallicarum, extra praelaturas numerum hunc non ſubeuntes, et alia beneficia, quorum exactiones ferme illum calculum adaequant. Vos certe omnes, Auditores Doctisſimi, non difficulter illud aeſtimabitis, modo partim reminiſcamini, partim moneamini, non minus auri argentique pertraxiſſe ad ſe pontifices quauis ex Europaea prouincia, quam quantum ex ea ipſa Imperatores olim Romani exegerint. Incredibile hoc

(e) Franciſcus Hotomannus in Fulmine Bruto cap. 8. et *ſtatliche Ausführung der Urſachen, warum Chur-Fürſten und Stände aufs Bäpſtliche* Concilium *nicht erſchienen*, p. 121. Edit. anno 1564.

(f) *Statliche Ausführung*, etc. pag. 113. ex Archiepiſcopi Magdeburgenſis legato ad Concil. Baſil in Sylua locorum communium.

(g) Franc. Hotomannus cap. 8. Fulm. Bruti.

hoc fortasſis aliquibus videtur? Video enim nonullos veſtrum commotos, et toto vultu auerſari tantam rapacitatem: eſt tamen, quod dico, veriſſimum. Quoniam ita vultis, doceamus id, vel Galliarum exemplo. Iulius quidem Galliam omnem in prouinciae formam redegit, eique, Suetonio teſte, in ſingulos annos quadringenties ſeſtertium, id eſt, vulgato more ſi ſummam exprimas, decies centena millia coronatorum, ſtipendii nomine impoſuit. Non inferiorem ſummam, ſumma ſit haec ingens licet, vno anno Galliam pontifici penſitaſſe dico. Temere id ne credite, ſi a leui coniectura res pendet, et teſte colligitur incerto, quid autem? ſi grauiſſimo Pariſienſis Senatus teſtimonio res tota conſtet, qui in poſtulatis pro Eccleſia Gallica *Ludouico XI.* oblatis articulo ſeptuageſimo ſecundo et ſequentibus, rationibus ſumma cura ſubductis oſtenderit, tribus annis ex Eccleſia Gallicana ſupra quadragies mille aureos, aureorum vigeſies octies centena millia Pium Papam recepiſſe; an dubitationi porro locus relinquetur? hoc certe inuenitis apud Franciſcum Duarenum, qui poſtulata illa Latine conuertit, et edidit ſub finem libri de beneficiis. Et huius tamen immanis ſummae triennio perſolutae triens eſt annuum illud, quod Galliae Caeſar impoſuit, ſtipendium. Et quid obſtupeſcitis? Iidem veteres Romani, quos *ſolos omnium opes atque inopiam pari affectu concupiuiſſe, non Orientis, non Occidentis opibus ſatiabiles, Britannus* olim *Galgacus* queſtus eſt, ex bonis fortuniſque omnium pene gentium in tributum actis, plus non perceperunt, quam ex vnica Europa Pontifex. Sic teſtatur, qui id ſcire poterat, homo Italus, Romam noſcens, Romae notus, Flauius Blondus: *Nunc,* inquit, *Principes orbis terrarum dictatorem perpetuum non Caeſaris, ſed piſcatoris Petri ſucceſſorem, et Imperatoris praedicti Vicarium, Pontificem ſummum, adorant et colunt: Nunc orbis terrarum Cardinalium Senatum, in vrbe Roma poſt Pontificem veneratur. Quid? quod maiora, vel*

certe paria, priscis temporum vectigalibus Europa pene omnis tributa Romam mittit, dum singulae ciuitates a Romano Pontifice beneficia sacerdotalia accipiunt? Haec ille instauratae Romae libro tertio. Ergo igitur nullius rei minus, quam argenti, quod tamen belli neruum veteres dixere, inopia Pontifex ille vere maximus, sed orbis miseria maximus, in bello laborauit. Quod si calliditate et prouidis consiliis regna magna firmari existimatis, cogitate astutiam Pontificibus tantam fuisse, quantam habuisse eos necesse sit, qui fraudibus suis totum fascinatum tenuerint orbem, atque omnia sceptra et coronas nullo iure subnixi, per inuestigabiles artes mitrae suae subiecerint. Et quid denique? Doctorum multitudinem in muniendo dominatu sibi defuisse, praetendere an poterunt, qui de seminariis suis tam multa, tam gloriosa iactant, (h) quod in iis *Discipuli omnem veritatem discant, Magistri omnem veritatem doceant, totiusque seriem Theologiae (cuius vix nomen quid sibi velit, qui apud nos sunt studiosi, ne Doctores quidem nostri, Lectoresque possint concipere) tam accurate quadriennio praelegant, vt si quis diligentem velit literis nauare operam, doctus sit euasurus Theologus, et ad gradum Theologiae aspiraturus: quandoquidem praeter eas, quae de positiua Theologia habentur praelectiones, quae Hebraica, quae controuersias, quae conscientiae causas tractant, vnica illa, quae in Scholastica versatur Theologia, eo ipso quadriennio edoceat eo modo omnes partes fidei Catholicae, vt inde auditores intelligant, non solum quid scripturae de re fidei tradant; verum etiam quicquid cuncti Conciliorum Tomi, scripta Patrum, Ecclesiasticarum historiarum volumina, aut quiuis alius autor lectione dignus contineat.* Sint hae, sint iactationes verae, neque enim eas iam excutio; id vnum quaero, tot et tantis regni Pontificii munimentis, innumerabili gente, seminariis tam gloriosis

(h) Bristous quaestione siue interrogatione 41. Narratio de Anglicano Seminario degente Romae.

riosis, orta, consiliis queiscunque tam calidis quam callidis collatis, congesto immenso auri pondere, quale, qui oculis non subiecit, concipere animo non potest, immani omnium Rauillacorum ausu omnibus tentatis, auctoritate Vice-Dei ad rauim vsque ingeminata, ad ludibrium vsque ostentata, Regum, imo et principum vi, et totius pene Europae impetu, quid effectum? et quidem contra pauculas, imbecilles, contemtas, meticulosas, non opibus, non consiliis excellentes, nulla, nisi Iesu crucifixi scientia gloriosas veritatis copias, quid obtentum? id, Patres et Amici lectissimi, ipsius ex Bellarmini querela intelleximus. **In tot regnis vicit numerum paucitas, arma imbecillitas, honorem ignominia, audaciam timor, opulentiam pauperies, astutiam simplicitas, sapientiam omnem sola Christi cognitio, vel, vt verbo dicam, veritas de errore triumphauit; triumphauit ipsis** inferorum portis nequicquam resistentibus. Atque vtinam modo non aliqui, quos et ipsos multis erroribus diuina veritas liberauerat, in quibusdam mysteriis nimium tribuissent humanae sapientiae, nec, dum transsubstantiationem e Coena, vires humanas e conuersione tollere nituntur, excedente modum medicina, e coena substantiam ipsam corporis Christi sustulissent, in conuersionis negotium Stoica decreta et inexorabilium parcarum tabulas intulissent, neue hinc ipsi, qui alias veritatis se propugnatores perhibebant, et veritatis etiam armis non pauca strenue gerebant, in veritatis illibatae asseclas, secundum Pontificis vota, ferrum strinxissent! Adhuc felicius foret pugnatum, si modo in tantis rebus nos homilluli quidquam suspicari debemus. Porro tamen non est, quod existimetis, terrarum illarum, quas Bellarminus enarrauit, finibus veritatem restauratam, eiusque Confessionem Augustae editam potuisse comprehendi: in ipsas Hispanias, in coenobia Hispaniarum irruit, vt rogi in Virginum, Nobilium, Monachorum viuicomburia hanc ipsam ob fidem (i) Hispali et pinciae insumpti

---

Tuanus lib. 23 . Historia Concilii Trid. Petri Suauis Polani lib. 5. p. 486.

Anno 1559. glorioso non minus, quam euidenti argumento demonstrarunt. Apud Ruthenos quoque (k) ad Mosqui fluenta inuenit Confessio Augustana tutam et honoratam sedem: Graecorum non formidauit ingenia: Subiit conspectum Patriarchae Constantinopolitani, (l) a quo etiam Confessionis Augustanae socii ad sacrorum participationem intromissi in interiora templi loca, quo soli Patriarchae cum his, qui sacra peragentem ministerio suo adiuuant, penetrare licet: Legitur sermone Heneto (m) a Trubero Carniolano munificentia Ducis Wirtenbergici Christophori adiuto, in Henetam linguam transfusa, ne in Turcicis prouinciis, quibus Henetus sermo familiaris est, ingemiscentes sub iugo Othomannico Christiani tanto thesauro priuarentur: (n) Albaniam imo et Iberiam, et Caspium mare penetrauit, ab ipso Georgianorum Principe illata. Nam, cum anno Christi cIↃ IↃ LXXIX. duo fratres, Georgianorum Principes, parte ditionum suarum a Mustapha Turcico Bassa occupata, recuperandi regni causa, Constantinopolin cum splendido comitatu ad Amurathen essent profecti, et minor quidem natu subiectione promissa fideque Christi eiurata, regnum ex voto impetrasset, alter autem *Quarquare Artabas*, cui totum regnum propter nascendi sortem debebatur, omni dominationis recuperandae spe excidisset, quod nollet in Turcarum transire ritus et Religionem, factum est, sic mire disponente Deo, vt pius hic princeps fructus tamen peregrinationis suae non poenitendos, aut potius praemia constantiae amplissima ferret, et, qui regno terreno a Turca exclusus esset, regni diuini communione bearetur, inque propagatorum veritatis a Christo ascisceretur

(k) Philippus Nicolai libro 1. de Regno Christi cap. 1. ex Oderbornio.
(l) Philippus Nicolai libro 1. de Reg. Christi cap. 1.
(m) Iacobus Andreae Oratione funebri in obitum Truberi.
(n) Philippus Nicolai lib. 1. cap. 1. de Regn. Christi.

retur consortium. Singulari enim prouidentia diuina venit in notitiam Oratoris Caesarei Baronis Vngnadii, ex eoque per interpretes comiter salutato Ecclesiarum Germanicarum statum sciscitatus est: Amanter illum resalutauit Baro, interprete Wenceslao Budouitio, aulae suae tum temporis Magistro, deque nostris Ecclesiis edoctum, vt in Christiana fide constanter perseueraret, monuit. Adhaec exemplar Graecum Augustanae Confessionis manu sua scriptum, principi communicauit, quod ipse serena fronte acceptans, in sermonem Ibericum illico per interpretes transferri iussit, et exemplar vtrumque in patriam transmisit. Et nunc fortasse in extremis illis oris, vix fama satis cognitis, principis sui pietatem imitati Georgiani Confessionem Augustanam legunt, versant, exosculantur, nunc Caucasi et Moeotidis accolarum barbara labra de restituta verbi coelestis puritate nobis gratulantur, et ipsa vagorum Scytharum feritas fidei orthodoxae mansuetudine mitescit.

Sed harum me cogitationum, siue mauultis votorum laetitia perfusum, et iam porro Ecclesiae, indigenis, orbi gratulaturum, reprimit in ipso cursu orationis exortus subito animi dolor, et spes longinquas, et vota in alienum orbem diffusa mittere iubet, et curare, quae propius nos tangunt. Recordor enim hodiernae faciei patriae nostrae; obuersatur ante oculos funesta tot vrbium, tot gentium imago, quae nuperis annis Solem hunc Augustanae Confessionis etiam Scythis et Tartaris exorientem apud nos in meditullio Germaniae, siue amiserunt, siue expulerunt. Trepidat, trepidat magno concussum metu pectus, ne iterum omnia fatali quassata ruina labent, iterum Germanos obscura premat nox, et densa mergat caligine Teutonas deforme Chaos Pontificium: non, quod error toties victus triumphaturus sit de oppressa veritate, *opprimi enim non potest veritas, etiamsi Principes, etiamsi populi veritatem amplexi, oppressi fuerint*, quod recte in ipsis Comitiis Augustanis (o) minitan-

 ti

(o) Chytraeus Histor. Aug. Confess. pag. 377.

ti Caesari Confessores responderunt, sed, quod metuendum videatur, ne Deus irritatus mutet coloniam cum Euangelio suo, cuius consortio ipsi vita et flagitiis nostris nos indignos reddidimus. Horum, Auditores, periculorum formido excutit mihi prolixam illam gratulatoriam securitatem, cogitque, vt potius omnes nos monendos, rogandos, et per nos ipsos, per salutem Ecclesiae, per posterorum spem, per auorum memoriam obtestandos ducam, eamus, clamans, eamus obuiam tanto malo, arma, arma corripiamus, non illa terrena, imbecilla, quae vix cutem carnemque stringunt, sed spiritualia, sed diuina, sed penitissimas animae partes penetrantia, quae coelestis Imperator militibus suis commendauit, pro ense verbum Dei, pro scuto immotam fidem, pro galea spem salutis, pro lorica seriam poenitentiam, et vitae rectitudinis studium, pro igniuomis globis ardentes preces et lacrimas ad Deum profusas. Quibus ex officio incumbit, praedicemus sermonem, instemus tempori, non tempori arguamus, obiurgemus, exhortemur cum omni lenitate et doctrina, etiamsi fuerit illud tempus, quo sanam nolit doctrinam tolerare mundus, sed aures a veritate auersas, fabulamentis patulas praebeat: iuuentus nostra discat vibrare gladium Dei, verset diu et noctu sacras scripturas, det operam Graecis et Hebraeis fontibus, quarumque ductu ad eos hauriendos indiget, bonis literis, vestigia legens maiorum suorum, quorum virtutes adhuc vtcunque vitia nostra sustentant. Nulla vis, nullae minae, nulla inuidia a Christo nos auellat, ne labefactet quidem: propter terras, Deum nobis ne eripi patiamur. Quidquam ne tanti erit, cuius causa Sacramentum, quo in Baptismatis fonte Seruatori nos obstrinximus, violare velimus, infidi, transfugae, Dei desertores, proditores nostri, nec in Christum magis quam salutem famamque propriam iniuriosi? Quid salui quaeso in homine est, autore salutis perdito perfide, eierato improbe? aut quid sibi quisquam de fide nostra polliceri poterit, quam

Deo

Deo viderit non seruatam? Quin potius ſpem auſimus noſtram praeſtare Deo, quoſque fortuna hoſtibus animos dedit, ſumamus a cauſa, inter montes malorum, cum nulla ſupereſt ratio ſalutis, ſalutem ſperemus, Deo et veritate, quam tuemur, confiſi, adeoque, ſi forte patientiae velit noſtrae periculum facere Deus, pro veritatis teſtimonio non dubitemus iugulum dare, ſanguinemque profundere eius pro confesſione, qui ſanguine ſuo profuſo aeternam nobis vitam promereri non dubitauit. Illi ſit conſecrata vita, cui debetur, reminiſcamur, nihil aliud intercidere, quam corpus fragilitatis caducae, morbis obnoxium, caſibus expoſitum, proſcriptionibus obiectum, animum vero diuina origine hauſtum, cui nec ſenectus vlla, nec mors, nequaquam perimi, ſed exſolutum oneroſi corporis vinculis, ad Chriſti regna, et ſedes ab aeterno paratas recurrere: ipſum etiam hoc corpus, ſed omni fragilitate liberum, recepturos nos a Seruatore, pro cuius confesſione illud libenter amiſerimus. Sic, credendo et patiendo, facile quemuis impetum ſuſtinebimus, modo innocentiae ſtudium his accedat. Quid prodeſt morte velle tueri fidem, quam vita perpetuo infames? Modo precum non obliuiſcamur, et adoremus, et procidamus, et ploremus coram Domino, vt cataractas miſerationum, et viſcera amoris ſui, quae vitiis noſtris et viarum noſtrarum peruerſitate nobis ipſi praecluſimus, propter ſe aperiat, et quamuis nos filii dici non mereamur, ille tamen patrem ſe eſſe meminerit, nec, cum indignitatem noſtram cogitat, neceſſitatis noſtrae obliuiſcatur, quod, quamuis luce diuina priuari meruerimus, carere tamen illa nequeamus, ac proinde apud indignos etiam gratia ſua habitet, indignos tueatur, ſi non aliud, ſaltem honorem nominis ſui vindicans, quod irridendum proſtituetur iis, qui de nobis, Chriſti populo, erunt triumphaturi. His telis vſi, Auditores, cui hoſti non pares eſſemus? Sic nobis armatis, an verendum, ne recolligat attritas ſuas opes Papa, et fractas vires reficiat, totiesque fuſa et poenitenda errorum

ſuorum

ſuorum acie aut potius colluuie in euentus ſurgat melioris fiduciam? Cuncta vt ille commouerit, terras, maria, Acheronta ipſum, poteſtne maior venire, quam fuit tum, quando his armis victus eſt?

Haec me clamare, haec monere, his ſimilibusque vocibus longa oratione confirmatis excitare me fas erat ſupinam non paucorum negligentiam. Sed vereor, ne haec fruſtra ſint, apud eos, qui his ſtimulis indigent, qui ad ipſas plagas diuinas occalluiſſe videntur: et praeterea extremum aliquid, neceſſe eſt habeat oratio mea, finemque me dicendi facere oportet, cum attendendi vos nullum faciatis.

Ad te, igitur, o magne Deus, conuerto potius preces meas: tu, o viue fons miſericordiae, ne memor eſto delictorum populi tui, neue in indignationis aeſtu abiice a facie tua, quos redemiſti, quos adamaſti, quibus clamantibus propitium te fore es pollicitus, veram poenitentiam, viuam ſpem, fidem immotam tu, tu inſpira cordi noſtro coelitus, quandoquidem ex nobis ea non habemus, quae ventura metuuntur, aut potius, quae metu maiora venient, ni tu prohibueris, potenter auerte, quibus indigni ſumus, bona gratioſe concede, fortuna pia pacem publicam ſpectantia conſilia, Eccleſiam tot procellis et tam foedis tempeſtatibus conflictatam, et te praeter praeſidium habentem nullum adiutorem neminem, reſpice e coelo; ſicut centum proximis conſeruaſti annis hic verbum tuum, pro quo ima ex mente animi aeternas tibi gratias habemus, ſic et in poſterum in patria noſtra Agnitionem et Communionem Filii tui ab omni labe liberam conſerua, ab Academia hac Balthica coenum et virus haereticum depelle, in templis, cathedris et pulpitis noſtris vox verbi tui et Confesſionis Auguſt. ſonitus omni aeuo conſtanter perennet, imo totum per orbem latius ſe in dies diffundat, vt poſt decurſum centum annorum, tot modo ſi adhuc current anni, de conceſſo, ſeruato et diffuſo tanto bono grata noſtra poſteritas ex hoc loco iterum nomini tuo dicat laudes, ſibique, et toti orbi, vt par eſt, gratuletur.



